

Iohannes

Doleo vobis erratisbus: et volo vos reducere ad vias
veritatis. vñ dicit: Sed cognoui vos: qz dilectiones
dei nō habetis in vobis. **CHRY.** q.d. Iō hoc dicit:
vt cōuincā vos: qm̄ ppter amore dei me nō psequis-
mini. Etenī ipse testat mibi t p opera t p scripturas
Qpotebat igis ut sicut t me abiūciebatis estimates
esse deo cōtrarii: ita nūc ad me venietis: si deū am-
retis: sed nō amatis. Nō aut ab his solū: sed etiā a fu-
turiis b̄ oīdit dices: Ego veni i nomē patris mei: t
nō accipitis me. Si ali⁹ ve. i no. suo: illū accipietis.
Iō dicit se in nomē patris venisse: vt oēm absidat
occasione īdeuotiois. **ALCV.** Ac si dicat: iō veni
in mundū: vt p me glorificet nomē patris: qz patri
oia attribuo. Dilectionē ergo dei nō habebat: qz no
lebat eū recipere qz patris venerat facere voluntatē. An
tichrist⁹ aut veniet i nomē nō patris sed suo: vt nō
gloriā patris: sed suā querat. Quia enī iudei nolue-
rūt recipere christū: pena peccati hui⁹ cōgruerit: vt reci-
piāt antichristū: vt q nolūt credere veritati: credant
mēdacio. **AVG.** de verbis do. Sed audiam⁹ t iō
bannē. Audistis qz antichrist⁹ venit: et nūc antichri-
sti multi facti sūt. Quid aut expauescis i antichristo
nisi qz nomē suū honoratur? ē: t nomē dñi cōtem-
pturus? Quid aliud facit qz dicit: Ego iustifico: nisi
boni fuerim⁹: p̄stis. Argō vita mea ex te pēdebit: et
sal⁹ mea ex te religabit: ita ne oblit⁹ sim fundamen-
tū meū: nōne petra erat christ⁹. **CHRY.** Sic igis
irrefragabilē īdeuotiois eorū ponit demonstrationē
q.d. Si vt amātes deū me p̄se querimini: multoma-
gis i antichristo b̄ vos facere oportet. ille enī non
dicit se a patre misum: neqz fm̄ voluntate illi⁹ venis-
re: sed ecōtrario ea que sibi nō cōgruit rapiēs super
oia deū se ēē dicet. Manifestū ē igis qz luxoris p̄se-
cutio erat: qua christū p̄sequebant: t odij i deū. De
inde cām eorū īfidelitatis ponit dices: Qūo vos po-
testis cre. qz gloriā ab iniūcē acci. t glo. qz a solo deo
ē nō queritis. Hic enī rursus oīdit: qm̄ nō que dei
sūt intēdebāt: sed p̄priā volebāt passionē defendere
ALCV. Magnū igis vitii ē lactatia: t humane
lātūs ambitio: que de se vult estimari: qz de se nō
habet. Iō enī nō possūt credere qz supba mēs eoru
laudari desiderat: t se super alios efferre. **BEDA:**
Hoc aut vitii meli⁹ caueri nō pōt: qz vt ad colcien-
tias nostras redeam⁹: nosqz puluerē cōsiderem⁹: si
qd nobis boni esse dephēdimus: nō nobis sed deo
ascribam⁹. Instruimur etiā vt semp nos tales exhibe-
bam⁹: qles ab alijs videri desideram⁹. Deniqz pos-
sent ipi rādere. Ergo accusabis nos apud patrē. Et
iō eorū questionē p̄ueniēs subdit: Nolite putar qz
ego accusatur⁹ sū vos apud parre. **CHRY.** Quia
s.nō veni dānare sed saluare. Est q accu. vos Moys-
ses i quo speratis. Sicut enī de scripturis supra di-
xit: In qbus putatis vitā eternam habere: ita t de
moysi ait: i quo vos spatis: ex p̄p̄is eos vbiqz capi-
ens. Sed dicent: Qualiter nos ille accusabit: quid
tibi t moysi cōc: qz sabbati soluisti: t iō subdit: Si ei
crede. moysi: crederetis for. t mibi. De me ei ille scri-
psit hec ex supiorib⁹ cōstitutionē habē. cū enī in cō-
fessiōe deducti sit: qz a deo veni: ab opibus: a voce
iōh. iñis: a patris testimonio: manifestū ē qz moyses
eos accusabit. Etenī dixit: Siqz venierit signa faciēs
t ad deū dices: t futura p̄dices cū veritate: oportet

ei obedire. Christ⁹ aut hec oia fecit nec crediderūt.
ALCV. Forſitan aut more nostro posuit: nō qz
dubitatio fit i deo. Scripsit aut de christo moyses
dices: Prophetā vobis suscitabit de⁹ de fratrib⁹ re-
stris: taqz meipm audietis. **AVG.** cōtra Faustus:
Sed t oē qz scripsit moyses de christo eft. ad chri-
stū oīno p̄tinet: sive qz eu figuris rerū vel gestarū et
dictarū p̄nunciet: sive qz eius grām gloriāqz cōmen-
det. sequit: Si aut illi⁹ iiris non creditis: quo verbis
meis cre. q.d. Ipse etiā scripsit t apud vos libros re-
liqt vt si forte obliuiscēmini: de facili recordari pos-
sit. t cū scriptis nō credidistis: quo verbis meis nō
scriptis credetis. **ALCV.** Ex Bertia colligit: quia
qz legit p̄cepta qz rapina t alia mala p̄bibet: t imple-
re negligit dicta euagelij que p̄fectioia t subtilioia
sūt iplere nō valēt. **CHRY.** Et quidē si attēderent
bis qz dicebant: oportebat q̄rere t ab eo discere que
sūt illa qz moyses de eo scripsit: sed filēt. Tale enī est
neqzcia: vt qui cōquid dicat aliquis vel faciat: maneat
propriū venenū cōseruans. **CAPI. VI.**

Dicit hec abijt iesus trās ma-
re galilee: qz ē tyberiadis.
Et sequebas eū multitudo
magna: qz uidebāt signa qz faciebat
sup his qui īfirmabāt. Subijt ergo
i mōtē iesus: t ibi sedebat cū disci-
pulis suis. Erat at p̄ximū pascha dies
festus iudeorum. Cum subleuasset
ergo oculos iesus: t uidisset qz mul-
titudo maxia uenit ad eū: dic ad phi-
lippū: Unde emem⁹ panes ut man-
ducent hi? Hoc at dicebat tentans
eū. Ipse enī sciebat qd ēē factur⁹.
Respondit ei philipp⁹: Dūcētorūz
denariorū panes nō sufficiūt eis: ut
unusqz modicū qd accipiat: Dic
ei un⁹ ex discipulis ei⁹ adreas frater
simois petri: Est puer un⁹ hic qbz
quiqz panes ordeaceos et duos pil-
ces: Sz hec qd sunt: inter tantos?
Dic ergo iel⁹ facite hoies discubere
Erat at fenuz multū i loco. Discu-
buerunt ergo uiri numero qz quiqz
milia. Accepit ergo iel⁹ panes: t cū
grās egisset: distribuit discubētib⁹.
Sūl t ex piscib⁹ quātū volebat. At
autē ipleti sunt: dixit discipulis suis
Colligite que supauerūt fragmēta
ne pereat. Collegerunt ergo: t iple-

uerūt duodecim cophinos fragmē
torū ex quinqz panibus ordeaceis t
duob' piscib': que supfuerūt his q
mādicauerāt. Illi ergo homies cū
uidissēt quod iesus fecerat signū: di
cebāt: Quia hic est uere propheta q
uentur' est in mundum.

CHRY. Sicut iacula cū i durū aliqd inciderint:
cū multo ipetu iaciunt: cū aut nō habuerit aliquid
obuiā: dissoluit cito i missio t qescit: ita
dīcīb' homibus ipetuoīe ieselerimus seiuūt magis.
Sicut cesserim' facile mollim' eorū insaniā. Pro
pterea christ' furorē ex pmissis fmonib' natū sece
dō mitigauit: i galileā vadēs: nō tū loca vñ in hie
rusalē aſcederat nō enī i cbana galilee: sed vltra ma
re iuit. enī air: Post hec abiit trās mare galilee quod
ētyberiadis. **ALCV.** Hoc mare p diuerſitate lo
ci: mare galilee ppter puincia; tyberiadis aut a ci
uitate oīicī. Mare aut dīcī: nō q̄ sit amara aqua:
sed iūtā hebraicū modū oīm cōgregatiōes aquarū
maria vocans. Quod mare dñs enī frequēter tran
fit et populis ibi manētibus verbū p̄daciōis ipen
dat. **THEO.** Trāit enī de loco ad locū pbando
populi voluntatē. t audiōres homies vniuersiūsqz
euātis: t soliciōres reddēs. vñ seq̄: Et seque. eū
mulma. q̄ vide. sig. que fa. sup his q̄ ifirmabāt.

ALCV. Scilicet q̄ cecos illumiabat: t alia huīns
mōi. Et scīdū ē q̄ quoscūqz i corpore sanabat: eos
pariter reformabat i aia. **CHRY.** Lata aut̄ doctri
na potiētes a signis magnis mouebāt: q̄ grossioris
mētis erāt. Signa enī vt ait paul' nō sūt data fides
lib' sed ifidelib'. Sapiētiores aut̄ erāt illi de qbus i
mattheo dīcī: q̄ stupebat i doctria ei'. Sed quare
nō dīcīt que signa videbāt eū faciēt: qñ hic euāge
lista maioriē ptem libri i fmonib' dñi cōsumere stu
dīt. Seq̄: Subiit i mōtē iesus. t ibi sede. cui discri
sua. In mōtē quidē ascēdit. ppter signū qđ fieri de
bebat. Sed q̄ discipulos secū ascēdere fecit: accusa
tio multitudinis erat: nō sequētis eū. Ascēdit etiam i
mōtē. erudiēs nos a tumultib' t ab ea que i mūdo
ē turbatiōe qescere. aptū enī ad philosophiā solitu
do ē. Seq̄: Erat aut̄ primū pa. di. fe. iii. Vide qua
liter i anno istegro nūl plus euāgelista nos docuit
de signis chūti q̄ palyticū sanauit t filiū reguli
nō ei studiū vniuersa annūciare sed ex multis ma
gna t pauca. Qualiter igīt nō ascēdit ad dī festū:
paulatīz enī soluebat legē occasionē capiēs a iudai
ca neōcia. **THEO.** Quia enī iudei eū psequēban
tur: occasiōne recessus accipiēs legē exclusit: innūc
obseruātib' q̄ veritate adueniēt: oīs cessat figura.
t q̄ legib' nō subiicit: vt legalia festa pficeret: t vi
de hoc qđ nō erat festū chūti: s̄ iudeoū. **BEDA:**
Siōs aut̄ verba euāgelistarū diligēter cōſiderauerit
facile cognoscet: q̄ vñ anni spaciū fuit iter decol
lationē iobāniū t passionē dñi. **CHRY.** Enī matthe' dī
cat: q̄ dñs audita nece iobāniū secessit i desertū lo
ci t ibi turbas pauit: t iobāniū dīc q̄ primū erat
pafcha iudeoū q̄i turbas pauit: apte demōstratur

q̄ iminēte pascali festiuitate decollat' ē iohānes.
Euoluto aut̄ vñ anni spacio passus ē christ' i eadē
festiuitate. Sequit: **L**ū subleuasset ergo oculos ies
sus t vidis. q̄ multi mar. ye. ad eum dīxit: ad phi. vñ
eme. pa. vt mā. bi. **D**ixit cū subleuasset oculos iesus
q̄ discerem' q̄ oculos nō erigebat hic atq̄ illuc h
pudice sedebat attētus cū discipulis suis. **CHRY.**
Neq; etiā simpliciter sedebat cū discipulis suis: sed
diligēter loquēs aliqd eis: t eos ad scīpm cōuertēs:
deinde respiciēs vidi turbā ad se veniētē. **C**ui' igī
gra philippū interrogat: scīebat enī q̄ discipulorum
ei' cōgregatio ampliori idigebat doctria. **T**alis aut̄
erat philipp' q̄ postea dīxit: **O**nīde nobis patrem t
sufficit nobis. ppter ea īgit p̄is eū eruditēbat. **N**ā; si
simpliciter factū ēēt miraculū nō tantū appareret:
nūc aut̄ p̄i' cogit cōfiteri iopiā: vt certi' disceat mi
raculi magnitudinē. vñ seq̄: **H**oc aut̄ dice. ten. eūz.
Nō quidē ignorās id quod debebat ab ipo dīci: sed
hūane hoc dictū ē. **S**icut ei qđ dīcī: Qui scrutat
corda hominū: nō onīd ignoantie scrutinationē sed
certissime cognitiōis: ita cū hic dīcīt q̄ tētauīt eūz:
nūl aliud dīcit q̄i quoniā scīebat certissime. **S**ed a
liud ē dicere qm̄ p̄batiōrē eū faciebat: p̄ talē īterro
gationē īducēs ī certissimā signi cognitionē. ppter
h' t euāgelista ne īfirmitate locutiōis minorationē
aliquā suscipieris subiūgit: **I**pse enī scīebat qđ ēēt fa
ctū. **AKCV.** Interrogat īgit nō vt ignorata oī
scat: sed vt discipulo adhuc rūdi p̄pīā tarditatē onī
dat: quā ipē ī īspēdere nō valebat. **THEO.** Uel
etiā vt aliis īpm onīderet: nō tāq; co: ei' ignorās.

AVG. de cō. euā. Sed si dñs scīm narrationem io
bāniū p̄spectis turbis q̄sūt a philippo tētans eum
vñ illis esce dari possēt: p̄t mouere q̄o sit verū: qđ
alij narrauerūt p̄i' dīxisse dñi discipulos: vt dīmit
teret turbas. **Q**uib' ille rūdit fīi matthei: Nō hūt
necessē ire: date eis vos mādicare. intelligit īgit p̄
hec verba dñi īspēsse multitudinē t dīxisse phili
ppo: qđ iobānes cōmemorat: alij aut̄ p̄permiserūt.

CHRY. Uel alij: Alia qđe sūt illa: alia at̄ sūt hec
nō eisdē facta tēpōib'. **THEO.** Philippū īgitur
dñs tētans vtrū fidē haberet iuenit eū adhuc hūa
nis passionib' subiacētē: qđ patet ex h' qđ seq̄: Rū
dit ei philipp': **D**ucētoū denariorū panes nō suffi
ciunt eis: vt vñsqz modicū qđ acci. **ALCV.** In
quo tarditatē suā onīd: nā si pfecte de creatore itel
ligeret: de ei' potiē largitate nō diffideret. **AV**
GV. de cō. euā. Quod aut̄ philipp' hic apud iobāit
nē rūdet: hoc mare' a discipulis rūsum eē cōmem
rat. volēs ītelligi hoc ex ore ceterorū philippū rūdis
se: quāq; t plurale numerū p singulari vītatisimē
ponere potuerit. **THEO.** Sed t andrea dñs simi
lē philippo iuenit: quis alti' de illo contēplātē. **S**e
quis enī: Dīcīt ei vñ' ex disci. ei' **A**ndreas fra. simo.
petri. Est puer vñ' hic q̄ habet qnqz panes bordea.
t duos pisces. **CHRY.** Estimo quidē nō sine cā id
eū dicere: sed q̄i audiuerait signū qđ belise' de panis
bus hordeaceis fecerat: pauit ei de. xx. panib' centū
homies. Ascēdit īgit mētē i aliquod excelsum: h' ad
summū nō potuit puenire. qđ patet p̄ h' quod sub
dit: Sed hec qđ sūt inter tātos: **E**stimabat enī q̄ de
pauciorib' pauciora: t de plurib' plura factur' ēēt
q̄ miracula faciebat: sed h' nō erat verū. **Similiter** ei

Johānes

ei facile erat et de plurib^z et de paucioribus pascere turbas. nō enī materia subiecta idigebat: sed ne visiderent creature alienae eē ab ei^z sapia ipsis creaturis eti ad materiā miraculorū **THEO.** L^ofundans tur manichei q̄ dicit q̄ paries et oia huiusmōi crea ta sūt a malo deo: q̄ boni dei fili^z iesus christus panes multiplicauit. nā si creature male fuissent: neq̄ q̄ bon^z mala multiplicasset. **AVG.** de cō. enan. Quod aut̄ andreas apud iohānē de qnq̄ panibus et duob^z piscib^z suggestit: hoc ceteri pluralē numerū p singulari ponētes ex discipuloru psona retule rūt. **CHRY.** Dicam^z aut̄ hic q̄ voluptati attendimus: q̄ coedebit mirabiles viri illi et magni: et q̄ tita nē eorū q̄ iferebant et utilitate mēse eorū. Nōdū au tem apparētib^z panib^z iussit eos discubere: vt discas qm̄ nō entia et entia ei subfūt: sicut paul^z ait: Qui vocat ea q̄ nō sunt: tāq̄ ea q̄ iūt. Sequit̄ enī: Dicit eis iesus: facite ho. d scūbere. **ALCV.** Ad līram homines discubere dicim^z iacedo comedere moe antiquo. vñ seq̄: Erat aut̄ fēnū multū i loco **THE.** i. berba viridis. Erat enī pascha qd̄ i pīmo mēse veris psciebat. Sequit̄: Discu. ergo viri. nu. quasi qnq̄ misilia. Soli viri numerant ab enāgelistā q̄ legalē con suetudinē sequebas. Etenī moyses a. xx. amis et supra populu cōnumerauit. nulla mētione de mulieribus facta: inuēs q̄ oē quod virile ē et innenile: dignū et honorabile ē apud deū. Sequit̄: Accepit ergo iesus pāne: et cū grās easset distri. discū. similiter et piscibus q̄tū volebat. **CHRY.** Sed quare palyticū debens sanare nō orat neq̄ suscitās mortuos: neq̄ mare q̄ etans: hic aut̄ orat grās agēs: vt. s. ondat eos q̄ cōfessionē icipiūt grās agere oportere deo. Sed et aliter i minorib^z marie orat: vt discas q̄ nō ppter idigen tiā orat. Si enī idigeret o are multomagis i maiori bus hoc fecisset. Quia vero illa ex auctoritate facit: manifestū q̄ hic cōdescēdēo nobis orat. et adhuc qm̄ turba multa erat pīs: oportebat eis suaderi q̄ fm̄ volūtati dei aduenerat: et iō cū occulē aliquod miraculū faciebat nō orabat sed coram multis ora bat. ne crederēt q̄ eēt deo cōtrarius. **HYL.** A. iii. d tri. Quinq̄ igit̄ panes offerat turbe et frāgūtē: sub repūt i frangētū manus quedā fragmētū pcreatiōes. nō iminiūt vñ p̄fringit: et tñ p̄fringētis manū fragmēta occupat: nō sēsus: nō vīsus: pfectū tā con spicabilis opatōnis asequit̄: et qd̄ nō erat videtur quod nō itelligit: solū supest vt de^z oia posse credatur. **AVG.** Inde enim multiplicat de paucis gra nis segetes: ide i manib^z multiplicauit qnq̄ panes potestas enī erat i manib^z christi: panes autem illi qnq̄ quasi semia erāt: nō quidē terre mādata: s̄ ab eo q̄ terrā fecit multiplicata. **CHRY.** Vide aut̄ q̄ta ē fui: et dñi differētia. nā ppberē quasi ex mensura habētes grām ita miracula faciebāt: christus aut̄ absoluta virtute faciēs cū multa supabundātia oia opabatur. Sequit̄: Ut aut̄ iple. sūt: dixit discipu lis suis: Colli. que supa. frag. ne pereāt. Collegerunt ergo tē. Nō quidē hec ostētatio supflua fuit: sed ne phantasiā estimarēt qd̄ factū ē. ppter quod etiā ex subiecta materia miraculū fecit. Sed quare nō tur bis dedit fragmēta portāda: sed discipulis: q̄tū bos mar ie erudire volebat: q̄ orbis terrarū debebat esse magistri. Ego aut̄ nō solū admiror: multitudinē pa

num q̄ facta ē: sed et certitudinē supfluoū: q̄ neq̄ plus neq̄ min^z fecit supflū eē: sed tantū q̄tū vole bat. s. xii. cophinos scōm numerū. xii. apostolū. **THEO.** Addiscum^z aut̄ et miraculo ppetrato non fieri puillanimes i coartatiōib^z paupertatis **BE.** Turbe aut̄ cū vidissent signū qd̄ fecit dñs mirabantur: q̄ nōdū eū deū eē cognoverat: iōq̄ euāgeliā subdit: Illi ergo homies. q̄ carnales erat et carnalē itelligebāt: cū vidissent qd̄ fecerat signū diceb̄: t̄ q̄ bic ē vere ppbera q̄ vētrurus ē i mundū. **ALCV.** Non dū pleni fide dñm vocāt ppberā q̄ nodū deū dicere nouerat: sed iā multū pfecterāt ex virtute mi raculi q̄ eū secernētes ab alijs ppbera vocabant: sicut sciebat in populo illo ppberas aliqui miracula fecisse. nec fallunf si dicit̄ ppberā: cū ipē dñs nouerit se ppberā dices: Nō capit ppberā pīre extra hie rusale. **AVG.** Sic aut̄ ppbera ē chāst^z et dñs pro ppberatū: sicut angel^z et dñs angelouū. ex eo q̄ p̄fēns annūciavit angel^z erat: ex eo q̄ futura p̄cītū p̄pheta erat: ex eo q̄ verbū caro factū ē: et angelouū et ppberatū dñs erat. null^z enī ppbera sine verbo dei **CHRY.** Et hoc aut̄ q̄ dicit̄: Qui vētū^z est i mū dū: manifestū ē q̄ ppberā quendā pīcipalem expe etab̄. Et iō qd̄ dicit̄: Dic est vere ppbera: i gēco cū adiectō articuli ponis ad osidēdū. s. eum cē di scētū ab alijs ppberis. **AVG.** L^o siderācū autē q̄ dicit̄: q̄ de^z nō ē talis substantia q̄ oculis videri possit: et miracula eius q̄bus totū mūdū regit: vñ uersamq̄ creaturā admīstrat: assiduitate vulnerū: fūauit sibi quedā que faceret oportūnū tēpore: p̄ter vītū curium originēq̄ nature: nō et maiora sed i solita vīdēdo stupēt q̄bus quotidiana vīlērunt. Dñai^z enī miraculū ē gubernatio rotū mūdi q̄ saturatio qnq̄ miliū hominū de qnq̄ panib^z: et tamē hoc nemo mirat. Illud mirans homies: nō q̄ maius: sed q̄ rarū ē. Nec tamē suffici hoc fructū i mūculis christi: q̄ enī dñs ē i mōte: verbū dei ē i alto. pīnde nō quasi humiliter iacet: nec trāscunter p̄tereundū. **ALCV.** Myſtice enī noīe maris tur bidū seculū designat. Mor aut̄ et chāst^z mare mor talitatis nostre adiūt̄ nascēdo: calcānt morēdo: trā sit resurgēdo: secute sūt eū credendo et imitādo tur be credētū et vtrq̄ populo collectorū. **BEDA:** Tūc aut̄ dñs subiū i montē q̄tū celū ascēdit: qd̄ cōgnat̄ p montē. **AVG.** Quid enī turbis inferiōib^z relictis ad altiorā cu discipulis ascēdit: osidit q̄ i mīplūb^z minora p̄cepta sūt cōmittēda: perfectos ab altiorā. q̄ immīnente pascha illos refici: significat q̄ qnq̄ pane diuini verbi et corpore et sanguine omīni dehiderat refici: deber spiritualē pascha facere. Ide vītū ad virtutes trāsire. Oculi vero dñi sūt co na spiritualia: q̄ cū dñs electi suis misericordē dīcedit: tūc i eos oculos suos dirigēt. i respectū pīcītūs ipendit. **AVG.** lib. lxxiii. quest. Quiq̄ aut̄ pa nes hordeacei significat vētērē legē: sūt q̄: nōdū spiritualib^z: s̄ adhuc carnalib^z data ē lex. i. qnq̄: corpōs sensib^z et editis. Nā et ipē turbe qnq̄ milia hominū fuerūt: sūt q̄ p moyseri lex ipa data ē. Moy ses enī qnq̄ libros scripti. Et q̄ hordeacei erant pa nes. bñ significauit vel ipam legē q̄ita data erat: et in ea vitale aie alimentū corporalib^z sacramētū ob tegeter. Ordē enī medulla tenacissima palea tegit:

vel ipm populi nondū expoliatū carnali desiderio
tīg palea cordi ei⁹ iberebat. **BEDA:** Vordeū eti-
am pabulū ī unmetorū z cib⁹ seruorū: z lex vet⁹ da-
ta ī suis z tumētis. i. carnalib⁹. **AVG.lib.lxxiiii.** q
sū. Duo aut̄ pisces q̄ savorē suauē pani dabāt: duas
illas psonas vident̄ significare: qbus popul⁹ ille re-
gebat: regi. i. z facerdotalē: q̄ tñ due psone dñm no-
strū pfigurabāt: ambas enī ille sustinuit. **ALCV.**
Uel quo pisces dicta vel scripta ppheterarum z psal-
mistarū significat: z cū q̄narius ad q̄nq̄ sensus co-
ponit referat: mille ad pfectiōne referet. Qui vō q̄n-
q̄ sensus corporis pfecte regere studēt: viri dicuntur
a virib⁹ quos semina mollices nō corāpit: sed so-
bie z caste viuūt: z celestis sapientie dulcedie meren-
tur recreari. **AVG.sup io.** Puer aut̄ qui ista habe-
bat forte popul⁹ israel erat q̄ sensu puerili ea porta-
bat nec māducabat. Illa enī q̄ portabat clausa one-
rabāt: ap̄a pascebāt. **BEDA:** Pulchre aut̄ dicit:
Neq̄ qd̄ sur iter tātos: q̄ lex vet⁹ p̄p̄ficiabat: quo
m̄sp̄cā suis manib⁹ suscepit. i. ope ip̄leuit. z eādem
spiritualiter itelligēdā eē docuit: q̄ lex nemine ou-
cebat ad pfectu. **AVG.sup iobā.** Frāgedo aut̄ pa-
nes multiplicati sūt. Quinq̄ enī libri moyſi: m̄ltos
libros cū exponūt tāq̄ frāgedo. i. disserendo fece-
rit. **AVG.lib.lxxiiii. questi.** Dñs etiā tāq̄ frāgen-
do z aperiēdo quod durū erat z clausū i lege disci-
pulos ip̄leuit: cū eis post resurrectionem aguit scri-
pturas. **AVG.sup io.** Quia aut̄ ignorātia populi
erat i lege: ppterē tētatio dñi ignorātia discipuli
demonstrabat. Sup fenuū aut̄ discubebāt: q̄ carnalis
ter sapiebat: z i carnalib⁹ q̄secebāt: ois enī caro fes-
ti. Illi aut̄ de panib⁹ dñi ip̄leuit: q̄ quod aurib⁹ au-
diūt oībus implet. **AVG.** Que sūt aut̄ fragmēta
nī q̄popul⁹ nō poterat māducare: Quid ḡ restat
nī et secrētiora itelligētē q̄ nō p̄t cape multitudi-
tū illa credit: q̄ idonei sunt: z alios docere valēt: sicut
erat apostoli. vii z. xii. cophini ip̄leti sunt. **ALCV.**
Lophini ei fuilia ip̄lenit officia. Lophini igī sūt
apostoli z eōū imitatores: q̄ h̄ i p̄senti sunt despica-
bile: spiritualiū sacramētū dñitūs sūt interi⁹ refer-
ti. Dicunt aut̄ apostoli finisse cophini: q̄ p̄ aposto-
los fides sancte trinitatis erat p̄dicāda i quatuor p̄
tibus mādi. Quod aut̄ nonnos panes noluit facere:
sed allatos cumulauit: significat: q̄ veterē scriptu-
rā nō reprobauit: sed aperiēdo patefecit.

Jesus ergo cū cognouisset: quia
ueturi essent ut raperēt eū z facerēt
eū regē: fugit iterū i mōtē ip̄le sol⁹.
Ut autē sero factū ē: descēderūt di-
scipuli ei⁹ ad mare. Et cū ascēdissēt
nanim uenerūt trās mare in caphar-
naum. Et tenebre iā facte erāt. Et
nō uenerat ad eos iesus. Mare au-
tē uēto magno flāte exurgebat. Cū
remigassent ergo quasi stadia uigin-
tīq̄ aut̄ triginta: uidēt iesum am-
bulantē sup mare: z p̄ximū nauī fie-

ri z timuerūt. Ille autem dicit eis:
Ego sū: nolite timere. Voluerunt
ergo accipere eū in nauim: z statim
nauis fuit ad terrā ad quā ibāt.

TBEDA. Turbe viso tāto miraculo: itellererūt pi-
um atq̄ potētē: z iccirco voluerūt ipm facere regē.
homies nāq̄ volūt habere regē pīu ad regēdū: z po-
tentē ad tuēdū. Dñs igī h̄ cognoscēs fugit i mōtē;
i. a scēdit celeriter. vii dicit: Jesus ergo cū cognō. qā
vē. eff. zt ra. eū z fa. eū regē: fugit iterū i mōtē ip̄le so-
lus. Hāc ergo itelligi ḡ dñs cū sederet i mōtē cū di-
scipulis suis: z videret turbas ad se venientes descen-
derat de mōtē: z circa iferiora loca turbas pauerat.
Nā quō fieri pōt vt rursus ille fugeret: nī ante de-
mōtē descēderet. **AVG.de cōcor. euā.** Nō aut̄ re-
pugnat quod matthe⁹ dixit: Ascēdit i mōtē sol⁹ ora-
re. Neq̄ enī cause orādi cōtraria ē cā fugiēdi: quan-
doquidē z h̄lē dñs doceat hāc eē nobis magnā cāz
orādi q̄n ē cā fugiēdi. **AVG.** Erat aut̄ rex q̄ times-
bat fieri rex: nec talis rex q̄ ab homib⁹ fieret: sed tas-
lis q̄ homib⁹ regnū daret: semp qdē ille cū patre re-
gnat scđ: q̄ ē fili⁹ dei. Predixerūt āt pphete regnū
e⁹: z scđm id q̄ h̄ factus christ⁹: z fecit fideles suos
christianos: q̄ sūt regnū e⁹ qdō mō colligīt mō emis-
sanguine christi. Erit āt aliq̄n māfestū regnū eius: q̄n
erit apta claritas sanctoru e⁹ p⁹ iudiciū ab eo factū
discipuli āt z turbe credētes i eū putauerūt illū sic
venisse vt tā regnaret. **H**oc ē velle rape z facē eū re-
gē. **CHRY.** Ulide āt q̄zta ē gule virt⁹: nō vltra eis
sabbati trāgressiōis cura: nō vltra zelant p̄ deo: sed
oīa remota sūt vētre replete: z ppheta iā erat apud
eos: z regē eū i thronizare volebat. Christus āt fugit
erudiēs nos mādanās ḥtēnere dignitates. Sic igī
jesus dimitit discipulos z ascēdit i mōtē. Di vero a
magistro relicti: vt sero factū ē descēderūt ad mare.
Et h̄ ē qdē subdit: Ut āt sero fa. ē dese. disci. e⁹ ad ma-
re. Et qdē vīq̄ ad vespērā expectauerūt eū vētūnū eē
putātes ad se: facta vō vespā nō vltra sustinet eū nō i
qrere: tāt⁹ eos detinebat amo: s; ab amore igniti as-
cēderūt i nauē. vii seq̄. Et cū ascē. na. ve. trās ma. z
caphar. Ulenibāt qdē ad capharnaū estimātes se il-
lic eū iuēturos. **AVG.** Sic ḡ dixit finē z reddit ut
exponat quō uenerūt: q̄ p̄ stagnū nauigātes trāfie-
rūt: z dū nauigarēt recapitulādo exponit qd̄ accide-
rit dices: Et te. iā fa. erāt z si ve. ad eos ie. **CHRY.**
Nō sūne cā euāgelista tēp⁹ designat: s; vt p̄ h̄ calidū
eoī amoē oīdat. Nō eī dixerūt: Uespera nūc ē z
nor aduēt: s; ab amore igniti ascēderūt i nauē. mul-
ta āt erāt et q̄b⁹ ip̄iedebans a tēpore. vii dñ. Et tene-
iā fa. erāt a tēpestate. vii seq̄. Mare an. vē. ma. flā.
exurge. a lo. Nō eī erāt ppe terrā. vii dñ. Cum remi-
gassēt ergo q̄si stadia. rrv. vel. rrt. **BEDA:** Eō ges-
nere locutiōis: quo cū dubitādo loqmur solem⁹ di-
cē ferme. xxv. aut̄ ppe. xxv. **CHRY.** Et vltio ab ino-
pinabili. vii seq̄. Uidēt iesu am. iup̄a ma. z pri. fie-
ri. Apparet qdē eis postq̄ illos oīmisera: illo qdē
docēs eos qd̄ ē derelictio: z amoē excitās maiore: hic
vero suā vētūnū oīdēs: pp̄ h̄ igī illi turbabāt. vii
seq̄. Et timuerūt. qbus turbatio dñs cōfortationēz
adhibet. vii seq̄. Ille āt dicit eis: Ego sū. nolite time-

Johānes

re. **THEO**: Nō āt dixit: Ego sū iesus: s; tñ: Ego sū qz familiares ei^z erāt: iōqz audita voce facile potuerūt cognoscere magistrū: sive qd̄ veri^z ē: vt oñderet se illū eē q moyſi dicit: Ego sū q sū. **CHRY**: Jō autē eis appāruit: vt oñdat qn̄ ipē ē q tēpestatē soluet. Doc eī oñdit euāgelistā subdēs: Uoluerūt ergo acceperūt i nauī: t statī fuit nauis ad terrā: ad quā ibat Trāquillā enī pbuit eis nāigationē. Non aut naūm ascēdit: volēs mai^z miraculū opari: t deitatē ei^z rēuelare apti. **THEO**: Vide nāqz tria miracula p̄mū ē q ambulabat supra mare. secūdū est q fluēt^z mitigat. tertū ē q statī fecit nauim ad terrā ire: ad quā ibat. nā multū distabat a terra: cū eis dñs apparuit. **CHRY**: Turbe āt non oñdit se iesus supra mare abulat: qz h signū ibecillitatē eoz excedebat. sed neqz discipulis diu visus ē h faciēs: sed statī oñ sparuit ab eis. **AVG**: de cō.euā. Nō ēt aduersorū q matthe^z p̄z: eu dixisse discipulos ascēdere i nauicula t pcedere eū trāfretū: donec dimitiēt turbas: ac deide dimissis turbis ascēdisse i mōte sol^z orare: Johānes vero p̄z: eū fugisse cōmemorat solū i mōte: ac deide iquit. Ut au. se. fa. ē: descederūt disci. ei^z ad mare. t cū ascē. nau. Quis eī h videat recapitus lādo iohānē postea dixisse factū a discipulis qd̄ iaz iesus iussērat anqz fugisset i mōte. **CHRY**: Uel aliter: Nibi videt hoc signū aliud ab eo qd̄ apō mattheū positiū ē. tūc enī nō statī eū suscepērūt: nūc aut p̄suāsi sūt statim suscipē. t tunī qdē adhuc tēpestas p̄manebat cōcutiēs nauī: nūc āt cū voce trāqllitas aduenit. multocēs ei eadē faciēs signa vt facile susceptibilia fūt. **AVG**: Dystice āt pauit dñs turbas t ascēdit i mōte. sic ei de illo p̄dictū ē. Lōgregatio populorū circūdabit te: t pp hāc i altū egredere ī. t circūderet te gregario populorū regredere in altū. Quare āt dictum ē. Fugit: neqz enī h nollet tene rēt. Aliqd ergo significauit fugiēdo: qz. s. nō potuit intelligi altitudo ei^z. qz qd̄ ei non stellereris: fugit me dicis. ergo fugit i mōte ipē sol^z: qz ascēdit sup omēs celos. Illo aut̄ sursum posito: discipuli i nauicula tēpestatē parieban̄: nauicula illa ecclēsia p̄signabat. Tenebre iā facte erāt: t merito: qz lux nō erat: nō ei venerat ad illos iesus. Quātū accedit finis mudi: cēscit errores: crescit iniqtas. Lur deniqz charitas est h illud: Qui odit fratrē suū i tenebris ē. Ipsi fluct^z nauē turbatēs: t tēpestates t vēti: clamores sūt maledictoriū. idē charitas refrigerat: idē fluct^z augēt: t turbas nauis. nec tñ vēti illi t tēpestas t fluct^z t tenebre id agebat: vt vel nauis nō p̄moueret: vel solūlūtū mergeret. Qui enī p̄seuerauerit vsc̄ i finē: hic salūt^z erit. Qui nāt numer^z ad legē p̄tinet: ipsi sūt qn̄qz libri moyſi. ergo legē signat numer^z vicesimus qnt^z: qm̄ qn̄quies qm̄ sūt vigitiqz. Sz huic legi qn̄qz euāgeliū retinēt decret pfectio: qz senario numero cōprehēdēt. Ipsi ergo qn̄qz p̄ sex multipli cēt: vt let p̄ euāgeliū ip̄leat: vt fiat lēties qm̄. xx. Ad eos ergo q legē ip̄leat venit iesus calcas fluct^z: i. oēs tumores mudi sub pedib^z habēs: oēs altitudes seculi p̄mēs: t tñ tātē sūt tribulatiōes: vt ēt ipi q̄ cre dūt i iusū expāuescat ne deficit. **THEO**: Cum aut̄ hoīes vel demōes nos p̄ timore nitunt̄ mouere: audiam^z chāstū dicentē: Ego sū. nolite timere. i. ego semp̄assisto. t sicut de^z p̄maneo: t nūqz p̄trans-

seo: nō p̄datiſ i me fidē p̄ falsis terrorib^z. Vide etiā quo nō i principio piculi dñs astitit: s; i fine. **PREMIT** tit nāqz nos eē i medio piculorū: vt certātēs i tribu latiōib^z pbabiliorēs sūam^z: t vt ad ipsiū solū recurram^z: q̄ potēs ē ex ipsatis nos liberare. **LU** enī intellect^z buanū sibi puidere nō poterit: tūc sal^z dñia aduenit. Si voluerim^z etiā chāstū i nauicula no strā luscipe. i. i cordib^z nostris habitarē: statim inueniemur i terra ad quā ire volum^z. i. i celū. **BEDA**: Quia vero bec nauicula nō torpēs rebit: sed soniter remigatēs: significat q̄ i ecclēsia non seditionē t molles: sed fortes t i bonis opibus p̄seueratēs pue- niūt ad portū salutis eterne.

ALTERA die turba q̄ stabat trans mare uidit: qz nauicula alia nō erat ibi nisi una: t qz nō itroisset cū discipulis suis ieuīs i nauim: s; soli discipuli ei^z abissent. Alie uero supuērūt naues a tyberiade iuxta locū ubi māduauerant panē grās agentes deo. **LU** ergo uidisset turba: quia ieuīs nō esset ibi neqz discipuli eius a scēderūt i nauiculas: t uenerunt capernaū querētes ieuīs. Et cū iue nūsset cū trās mare: dixerūt ei: Rabbi qñ huc uenisti? R̄ndit ei ieuīs: t dixit: Amē amen vico uobis: queritis me nō qz uidistis signa: sed quia māduastis ex panibus: t saturati estis. **OPMAMINI** nō cibū q̄ perit: s; q̄ p̄manet in uitā eternā quē fili^z boīs dabit uob. **HUC. n. pr** signauit de^z **CHRY**: Dñs tñ turbis nō manifeſte oñderit quo supra mare ambulauerit: dedit tñ eis latēter suspicari qd̄ factū erat. t h euāgelistā oñdit vicens: Altera die turba q̄ sta. trās mare vi. qz nau. alia nō erat ibi nisi una. Et qz nō itroisset cū discipulis suis ieuīs i nauem: sed soli discipuli ei^z abissent. Quid ei h erat aliud qz suspicari q̄ mare pedes trāiens recesserat? Neqz ei ē dicē qz i alia nauicula p̄trāsūt: quia una erat ibi tñ i quā ascēderūt discipuli ei^z: cū qbus ipē nō itrauerat. **AVG**: Inſinuatū aut̄ est illis tā magnum miraculū. uenerūt ergo t alie naues iuxta locū illū rbi māduauerat̄ panē: i qbus turbe eū secrete sūt. t h est qd̄ subdiē: Alie ve. na. supue. a tybe. iuxta lo. rbi mā. pa. gra. agē. deo. **LU** ḡ videt. turba q̄ ieuīs n̄ ēt ibi neqz discipuli ei^z ascē. i. na. t. ve. capbar. q̄ rentes eū. **CHRY**: Sed tñ p̄ miraculū tā magnus ueniētes: nō itrogauerūt eū qualiter p̄trāsūt: neqz curauerūt tantū miraculū addiscē. Seqz enī: Et cu iuēnissent cū trās mare: dixerūt ei: Rabbi qñ huc uenisti. Nisi q̄s dicat hic qñ p̄ qualiter oīctū esse ab eis: dignū aut̄ ē t hīc cōspicere facilē eōū mentē. Qui enī dicebat: Hic ē p̄pheta: q̄ studebat rape t facere

ei regē: suenētes eū nibil tale ɔfiliant. **Avg.** Ecce enī ille q̄ī mōtē fuderat turbat: cū ipis turbis losquit: mō teneāt: mō regē faciat. Sed ille q̄p̄ mira culi sacramētū & simonē ifert: & quoꝝ satiauit panis vētrē: satias smonib̄ mētē. **ALCV.** Qui enī dedit exēplū fugiēde laudis & terreni iperi: dat exēplū doctorib̄ qualiter debeat iñstere p̄dicationi.

CHRY. Māsietudo aut̄ & lenitas nō vbiq̄ ē utilis cū enī deles fuerit discipulus & grossus: stimulo vti adeū oportet: hoc & hic fili⁹ dei facit. Cenētib⁹. n. turbis & blādiētib⁹ ei dicēdo: Rabbi q̄n̄ huic venisti et ondat q̄ enī q̄ ab homib⁹ ē: honorē nō concipi scit: sed solū iñspicit eoz salutē: redarduēdo eis respō detinō solū corrigere volēs: sed & mētē eorū reuelas. vñ seq̄: R̄udit eis iesus & dixit: Amē amē di. vo. queritis me nō q̄ vidūtis signa: sed q̄ mādu. ex passib⁹ & saturati estis. **AVG.** q. d. Propter carnem me q̄ntis nō ppter spiritū. **CHRY.** Post rep̄b̄fētē aut̄ doctrinā ei⁹ adiugit dices: Opamini. nō ci. q̄p̄ sed q̄ gma. i. vi. eter. q. d. Vos escā exq̄ritis tēporalēgo aut̄ corpora vestra nutriui: vt p̄ h̄ exq̄reretis illā elē: que nō tēporaneā sed eternā tribuit vitā.

ALCV. Loxpote⁹ cibus carnē tñ resic̄t exterioris domis: & semel accep̄t nō sufficit: nisi quotidie ac cipiat. spiritualis aut̄ cib⁹ p̄manet in eternū & satiera tēp̄mā imortalitatēq̄ largit. **AVG.** Seipm̄ at illuat istū cibū: vt in sequētib⁹ illuceſcit: ac si dicat Queritis me pp̄ aliud: querite me pp̄ me. **CHRY.** Sed q̄ quidā eo q̄ volūt pigre nutriti: abuetur h̄ verbo: necessariū ē iducere id qđ ē pauli: Qui furebat iā nō fure: magis aut̄ laboret opando manib⁹ suis: vt habeat vñ tribuat necessitatē patiēti. h̄ & ipē coim̄bū reniēs: morabas apud aquilā & p̄scillaz & egobatur. **Dicēdo aut̄:** Ne opemū cibū q̄ perit: nō illuat q̄ oporeat pigritari: sed q̄ oporeat operari & carebit enī ē cib⁹ q̄ nō perit. opari aut̄ cibū q̄ perire affici secularib⁹ reb⁹. **Hoc** igit̄ dixit: q̄ illi nullā fidei curā babuerūt: sed solū volebat vētrē iplere nibil laborates: & h̄ decēter cibū q̄ perit vocavit.

AVG. Sicut aut̄ samaritane dixerat: Si scires qui peti a te bibere: postulasses ab eo & daret tibi aquā viua: ita & hic subdit: **Amē** fili⁹ bo. vo. da. **ALCV.** Quādo aut̄ p̄ manū sacerdotis corp⁹ christi accipis nō sacerdotē quē vides: sed illū quē nō vides attenē. **Sacerdos** ē dispēlator: būi⁹ cibi nō actor: fili⁹ bo. mis seipm̄ dat nobis: vt nos ī ipso & ipē ī nobis maneat. **Istū** fili⁹ homis nolite sic accipe quasi alios filios dominū. **Sequestrat⁹** ē enī quadā grā & excessus numero oīm. iste enī fili⁹ homis & dei fili⁹ est h̄ ē qđ subdit: **Huc** enī pater signauit de⁹. Signare ē signū ponere. q. d. Nolite me contēnere q̄ fili⁹ homis sū. sic enim sum fili⁹ homis: vt de⁹ pater me signaret. i. p̄p̄tū aliqd m̄bi daret: quo nō ɔfunderer cū genere humāno: sed p̄ me liberaret gen⁹ humānu.

HYL. A. viii. de tri. Signaculoru aut̄ natura est vt oīm imp̄se ī se speciei explicēt formā: & nibil min⁹ er eo ī se babeat vñ signēt: & vñ totū accipiuīt qđ im̄p̄is: totū er se p̄ferit q̄cqd ipsiū ē. Clerbi⁹ igit̄ hoc ad ouīe nativitatis nō pficit exēplū: q̄ ī signaculis & materies sit & diversitas & ipsiū: p̄ quā molliorib⁹ naturis: validiorū generū species ip̄muītur. Unigenit⁹ vo de⁹ & p̄ sacramētū salutis nostre bos-

mis fili⁹: volēs p̄petatis nobis paterne ī se signare specie: signatū se a deo ait: vt ḡ h̄ ptās ī eo dādi ad eternitatē eē itelligi possit: q̄ oīm ī se paterne for me plenitudinē signatīs se dei cōtineret. **CHRY.** Uel signauit. i. ī h̄ misit hāc nobis afferētē esca. Uel signauit. i. reuelauit p̄ suū testimoniū. **ALCV.** Myſtice at altera die. i. post ascētionē christi turba stās ī bonis opib⁹: nō iacēs ī terrenis voluptatib⁹ exp̄ctat vt veniat ad eos iesus. vna at nauis ē vna ecclēsia. sed & alie naues q̄ sup̄ueniūt sūt cōnēticula hereticorū: q̄ q̄ sua sūt querūt nō q̄ ielu christi. vñ que niēter eis dr. Queritis me q̄ māducastis ex panib⁹.

AVG. Quāmulti ēt nō q̄rūt ielu: nisi vt illis būfa ciat fm̄ tēpus. ali⁹ negociū h̄: q̄rit iñtercessionē cleri coū. ali⁹ p̄mis a potētioꝝ: fugit ad ecclesiā. vix q̄rūt iesus pp̄ iefum. **GRE.** xxii. mor. Per eoz etiāz p̄sonā dñs illos iñtra sanctā ecclesiā detestat: q̄ p̄ sa crois ordies ad dñm pp̄inquātes: nō ī eiſdē ordinib⁹ vñtū merita sed lūbida p̄sentis vite exquiruit. Satiatos q̄ppe de panib⁹ dñs seq̄: ē de sancta ecclēsia tēporalia alimēta lūp̄fisse & nō p̄ signis dñm sed p̄ panib⁹ q̄rere ē ad religiōis officiū: nō p̄ augēdīs virtutib⁹: sed p̄ req̄redīs subsidijs ibiare. **BEDA.** Illi etiā q̄ ī oratiōe querūt nō eterna h̄ tēporalia: q̄ rūt iesus nō pp̄ iesus sed pp̄ aliqd aliud. Significat at mystice q̄m̄ hereticorū cōnēticula carent ho sp̄itio christi ac discipulorū ei⁹: & dicūt alie sup̄uenisse naues q̄ hereses rep̄tine fuerūt. Per turbam aut̄ q̄ cognouit q̄ iesus nō erat ibi neq̄ discipuli e⁹ illi designant q̄ cognoscētes errores hereticorū: relinquit eos & ad verā fidē veniūt.

Dixerūt ergo ad eū: Quid faciemus ut opemūr opera dei? **Respōdit iesus:** Hoc est opus dei ut credatis in eū quez misit ille. **Dixerūt ergo ei:** Quod ergo tu facis signū ut uideam⁹ & credam⁹ tibi. **Quid operaris?** Patres nostri māduauerunt māna iñ deserto: sicut scriptū ē: Panē de celo dedit eis māducare. **Dixit ergo eis iesus:** Amē amē dico uobis: non moyses dedit uobis panē de celo: sed pater meus dat uobis panē de celo uerū. **Panis** enī uer⁹ est q̄ de celo descēdit: & dat uitā mūndo. **Dixerūt ergo ad eum:** Dñe semp̄ da uobis panē hunc.

ALCV. Intellecerāt escā istā q̄ p̄manet ī vitā eū nā eē op̄ dei: & iō interrogat qđ facerēt: vt istū cibūz i. op̄ dei opari possint. & hoc ē quod dicit. **Dixerūt ergo:** Quid faciem⁹ vt ogemūr opa dei? **BEDA.** i. que precepta sermādo poterim⁹ iplere opa dei. **CHRY.** Doc aut̄ dicebat: nō vt dis̄cat & faciat: h̄ ad cibi exhibitionē eū iducere volētes. **THEO.** Christus vero q̄uis cognoscet q̄ eis nibil p̄derat: tū

Johannes

ppter cōmūnē vtilitātē respōdit: t̄ ostendit eis immo
st̄bus homib⁹ qđ sit opus dei. vii seq̄: **R**espōdit
iesu: t̄ dixit eis: Hoc ē opus dei; vt credatis in eum
quē misit ille. **AVG.** Nō āt dicit: Ut credatis ei:
sed Ut credatis in eū. Nō enī continuo q̄ credit ei:
credit i eū. nā t̄ demones credebāt ei: t̄ n̄ credebāt
in eū. t̄ nos credim⁹ paulo: sed nō i paulū. Credere
ergo i eū ē credēdo amare: credēdo diligere: creden
do in eū ire: t̄ ei⁹ mēbris incorporari. Ipsa est fides
quā de nobis exigit de⁹: que per dilectionē operat.
Discernit tñ ab operibus fides: sicut dicit apostol⁹
iustificari hominē p fidē sine operib⁹ legis. Et sunt
opera que vident̄ bona sine fide christi: t̄ nō sūt bo
na: quia nō referunt ad eū finē ex quo sunt bona:
finis enī legis christus ad iusticiā om̄i credēti. t̄ iō
noluit discernere ab opere fidē: sed ipam fidē dixit
esse op⁹ dei: ipsa est eūm fides que per dilectionē
opatur. **N**ec dixit: Hoc est opus vestrū: sed Hoc est
opus dei. vt credatis in eū: vt qui glorias in dño glo
rietur. Credere ergo in eum est manducare cibum
qui permanet in vitam eternā: vt quid paras dentē
t̄ ventrem: credē: t̄ manducasti. Quia ergo inuita
bat eos ad fidem: illi adhuc querebant signa quib⁹
crederent. Iudei enim signa querūt: t̄ hoc est quod
sequitur: Dixerūt ergo ei. Quid ergo tu facis signū
vt videamus t̄ credamus tibi: t̄ quid operaris?
CHRY. Nihil irrationalius q̄ signo p̄ manib⁹
existente: quasi nullo iam signo facto hoc dicāt. ne
q̄ electionem signi fiendi domino premittunt: sed
in necessitatē eum estimāt ducere: vt nullū aliud
faciat signū q̄ tale quale factū est in eorū parētib⁹.
vnde subdunt: **D**atres nostri manducauerunt mā
na in deserto. **ALCV.** Et ne videatur manna ali
quo modo contēnendum: auctoritate psalmi illud
extollunt dicentes sicut scriptum est: Panē de ce
lo dedit eis manducare. **CHRY.** Multis quidez
factis signis: t̄ in egyptō t̄ in mari rubro t̄ in deserto
hui⁹ maxime meminerūt: quod valde cōcupisebāt
ppter vētris tyrannidē. Neq; aut̄ dicit q̄ de⁹ B̄ fe
cit: ne videatur eū exequare deo. neq; moysi indu
cūt: vt nō videant chrlū dep̄m̄ere: sed medium po
nat dicētes: **P**atres nostri māqua. māna. Vel alis
ter. **AVG.** Dñs ielus talē se dicebat: vt se moysi p̄
poneret. nō ei ausus ē moyses de se dicere q̄ daret
cibū q̄ nō perit. Attēdebat itaq; quā fecisset moy
ses: adhuc aliqua maiora volebat fieri. q̄ dicāt: **I**u
pmittis cibū q̄ nō perit: t̄ nō talia operaris quālia
moyses. **P**anē hordeaceos ille nō dedit: sed māna
de celo. **CHRY.** Licebat aut̄ domino dicere: quo
niā moysē maiora miracula feci: sed nō erat temp⁹
horum verborum nūc: sed vnum erat ad quod stu
debat. s. ducere eos ad escā spiritualē. vii sequit: **D**ic
it ergo eis ielus: Amen amē dico vobis: Nō moy
ses dedit vo. pa. de celo: sed pater me⁹ dat vobis pa
nem de celo vētū. An nō ex celo erat māna: qualē
igīt ex celo dicit: sicut t̄ volucres celi dicūt: t̄ sicut
dī. Itonuit de celo dñs. Panē at̄ n̄ vēt vocat illū
nō q̄ falsū erat miraculū de māna: s. q̄ figura erat
nō vītas. Nō dixit: Nō moyses dedit h̄ ego: sed pro
moysē qđē dēt: p̄ māna vō seipm̄ posuit. **AVG.** q̄
diceret. Illud manna hoc significabat. l. cibum de
q̄ paulo aū locut⁹ sū: t̄ om̄ia signa mea erant. Si

gna mea dilexistis: quod significatur cōtēnit⁹. **D**e
us enim dat panem quem significavit māna ipm̄
s. dominum ielum christum. vnde sequitur: Panis
enī verus est qui de celo descen. t̄ dat vitam mun
do. **BEDA.** Non quidem elementis: sed homini
bus habitatoribus mundi. **THEO.** Seipsum di
cit panem verum: quia principale significatum per
māna est vīgenitus dei filius homo factus. **Mā**
na nāq; interpretatur: quid est hoc: nam iudei vidē
tes stupefacti: vnu ad alium dicebant: quid ē hoc:
Filius autem dei factus homo ipse ē potissimum
admiratiū māna: ita vt cuiilibet contingat quere
re: quid est hoc: quomodo filius dei fili⁹ homis ē:
quomodo ex duabus naturis vna sit persona? **AL**
CVI. Qui per assumptam humanitatem descendit
de celo: t̄ per assumentem diuinitatem dat vitam
mundo. **THEO.** Dic autem panis vita fm natu
ram existens: tanq; vīti patris filius propriū op̄
facit: quia vivificat cuncta. **S**icut enī panis ex ter
ra infirmam naturā carnis conseruat: sic t̄ christus
per spiritus operationes vivificat animam: t̄ etiam
corpus incorruptibile facit. nam per eius resurrecti
onem corporalis infertur corruptio: t̄ ideo dicit q̄
dat vitā mundo. **CHRY.** Non iudei solum: h̄ oī
bi terrarum. Illi vero inferius adhuc inspiciebant.
vnde sequitur: Dixerūt ergo ad eum: Domine sem
per da nobis hunc panem. **D**icente autem eo quo
niā pater meus dat vobis panē: non dicerūt Ro
ga vt det: sed Da nobis. **AVG.** Sicut enī samari
tana cui dicitū est: qui biberit de hac aqua: non sit
et. vñq; fm opus accipiens t̄ carere indigentia vo
lens: Da mībi inquit domine de hac aqua: sic et
isti dicunt: Da mībi panem qui reficiat t̄ non te
ficiat.

Dixit aut̄ eis ielus: Ego sum pa
nis uite. Qui uenit ad me: non cu
riet: t̄ q̄ credit in me nō sitiet in eter
nū. **G**z dixi uobis: qz t̄ uidistis me
t̄ nō credidistis. Omē qđ dat mihi
pater ad me ueniet: t̄ eū q̄ uenit ad
me nō eiūcā foras: qz descendit de ce
lo nō ut faciā nolūtātē meā: sed no
lūtātē eius q̄ misit me. Ille est enī
nolūtās ei⁹ q̄ misit me patris: ut oē
qđ dedit mihi nō perdā ex eo: sed re
fūscitē illud in nouissimo die. **H**ec
ē autem uolūtās patris mei q̄ misit
me: ut ois q̄ uidet filiū t̄ credit ieu⁹
habeat uitā eternā: t̄ ego resuscita
bo eū in nouissimo die.

CHRY. De reliquo dominus in mysteriorum tra
ditione eos iductū ē: t̄ p̄mo te deitate sualodē.
vnde dicit: Dicit aut̄ eis ielus: Ego sum panis vite.
Nō. n. hoc de corpe ei⁹ dicitū est: de illo. n. in fine oī
cit: Panis quē ego dabo: caro mea ē. Sed interū

dei unitate loquitur: **E**t enim caro propter deum verbum panis est: quod spiritus ipsum suscipiet panis celestis fit.
THEO. Non autem dixit: Ego sum panis nutrimenti sed uite. Quia non cuncta mortifera erant: viuificauit nos Christus per seipsum: est autem panis non consuete vite: sed illi qui morte non refecatur. unde subditur: Qui venit ad me non esuriet: et qui credit in me: non sitiet in eterno.
AVG. Qui venit ad me: hoc est qui credit in me. et dicit: Non esurieret: hoc intelligendum est: Et non sitiet in eterno: utroque non significatur eterna illa satietas: ubi nulla est egitas.
THEO. Uel non sitiet neque esuriet: i. ad verbum dei audiendum: neque tedious efficiet: neque sitiet nisi intellectuali: quasi non habeat aquam baptismi et sanctificatiōē per spiritum facta.
AVG. Panem igitur de celo desideratis: ante vos habebitis: sed non manducatis. unde sequitur: Sed dixi vobis: quod et vidistis me: et non credidistis.
ALC VI. q. o. Non ideo hoc dixi: quod vos sciam hoc pane satiādos: sed potius ad impropositum vestre incredulitatis dico: quia videtis: et non creditis.
CHRY. Uel per hoc quod oicitur: Dixi vobis: insinuat testimonium scripturarum: de quo supra dixerat: Ille sunt que testimonium perhibetur de me. Et iterum dixerat: Quoniam veni in nomine patris mei: et non suscepistis me: hoc autem quod oicitur: Quia vidistis me signa occulte insinuat.
AVG. Sed non ideo ego populum dei perdidi: quia vos vidistis et non credidistis. unde sequitur: Omne quod dat mihi pater: ad me veniet: et cum qui venit ad me non ejiciam foras.
BED. Absolute dicit: Omne: ut ostenderet plenitudinem fidelium. Vi autem sunt quos pater dat filio: quando per occultam inspirationem facit eos credere in filium.
AVC VI. Quocumque ergo pater traxerit ad hoc et credat in me: veniet per fidem ad me: ut mihi iungatur: et cum qui passim fidei et bone operationis venierit ad me: Non ejiciam foras: i. in secreto pure conscientie mecum morabilis: et tandem recipiat eum in eterna beatitudine.
AVG. Illud enim interinde non entur foras: est magnus penetrare et dulce secretum sine tediō: sine amaritudine malorum cogitationum: sine interpellatione tentationum et dolorum: de quo dicitur: Intra in gaudium domini tui.
CHRY. Per hunc autem quod dicitur: Quod dat mihi pater: ostendit quoniam non contigens res est credere in Christum: neque cogitationibus humanis perficit: sed ea que desuper reuelatione indiget et anima deuota suscipiente reuelationem. unde non sunt ab accusacione eruti: quibus non dat pater: indigent enim et ea que ex nobis est voluntate ad credendum: per hoc autem tagit incredulitatem eorum ostendens: quoniam qui non credit ei: voluntate transgreditur patris.
Paulus autem ait quod ipse eos tradiderit patri: cum tradiderit inquit regnum deo et patri. Sicut igitur pater datus non potest seipsum: sic nec filius tradens: dicit autem filius tradere: quoniam per eum ad premum adducimur. Et de patre dictum est: Per quem vocati estis in societatem filii eius. Sic igitur qui venit ad me saluabile: quia pro his venit et carnem assumptam. unde sequitur: Quia dominus de celo non ut faciem voluntati: mea: sed voluntati eius qui misit me. Quid dicas: alia sunt tua: et que illius. Ne igitur hoc aliquis suspicetur subiungit: Hec est autem voluntatis qui misit me: ut omnis qui videt filium et credit in eum habeat vitam eternam. Per hoc autem et filius vult: quia filius quos vult viuificat. Quid est igitur quod dicitur:

Non aliud acturus veni quod quod pater vult: quia non habens diuisam voluntatem a patre. omnia enim que patris sunt: mea sunt. sed hoc non dixit: sed in fine reseruat: excelsa enim interim occultat. **AVG.** Uel alter: quare non ejiciat foras subiungit dicens: Quia de scilicet de celo non ut faciat voluntati: mea: sed voluntati eius qui misit me. Propterea enim anima a deo existit: quia superba erat. Superbia: non ejeci sum: humilitate regredimur. Medicus enim quando eruditus discutit: si curet quod per aliquam causam factum est: et ipsam causam non curet: ad tempus videlicet mederi: sed causa manente morbo repetitur. Ut ergo causa omnium morborum curaretur: i. superbia: descendit et humilis factus est filius dei. Quid superbis homo: filius dei propter te humilis factus est. Unde deret te fortasse imitari humilem hominem: saltem imitare humilem deum. hec est enim commendatio humilitatis: Non veni facere voluntatem meam: sed voluntatem eius qui misit me. Superbia quippe facit voluntatem suam: humilitas voluntatem dei. **HYLA.** iii. de trinitate. Non igitur hoc dicit quia faciat quod non velit: sed obedientiam suam sub effectu paternae voluntatis ostendit: volens ipse voluntatem patris explere.
AVG. Ideo ergo qui ad me venerit: non ejiciat foras: quia non veni facere voluntatem meam: humilis veni humilitatem docere. qui ad me venit incorporatur in me: et humilius fit: quia non faciet voluntatem suam: sed dei: et ideo non ejiciat foras: quia cum superbus esset: pietatis est foras: ad me enim venire non potest nisi humilius: non mittit foras nisi superbia: qui seruat humilitatem non labitur a veritate. Quare autem ideo non ejiciat foras qui venit ad illum: quia non venit facere voluntates suam ostendit cui subditur: Hec est enim voluntas eius qui misit me patrem: ut omne quod dedit mihi pater non perdam ex eo. Ipse illi datus est: qui seruat humilitatem non est voluntas in conspectu patris: ut pereat unus de pusillis: de tumulis: potest perire de pusillis nihil perit: quia nisi fuerit sicut pusillus iste: non intrabit in regnum celorum.
AVG. de correctione et gratia: Qui ergo iudei peruidet in una dispositio pescit: perestiti: vocati: iustificati: glorificati sunt etiam nondum renati: sed et nondum nati: iam filii dei sunt: et oportet non perire. bi. n. vere veniunt ad Christum. Ab illo ergo datur perseveratio in bono visus in fine. neque non daemini eis qui non peribunt: quoniam qui non perseverant peribuntur. **CHRY.** Per hunc autem quod dicitur: Non perdam ex eo: non ostendit se idigere eorum cura: sed hoc dicit propter eorum salutem. Postquam autem dixerat: Non perdam ex eo: et non ejiciam foras: subiungit: Sed resuscitabo eum in nouissimo die. quia in resurrectione coram malis ejiciuntur fratres illud: Tollite eum et ejicite eum in tenebras exteriores. Ipsi etiam perderent fratres illud: Qui potest animam et corporis perdere in gehennam. Ideo autem multoties resurrectorem inducit: ut non ex solis rebus perit: indicet dei peruidetiam: sed aliam expectet vitam. **AVG.** Videte autem quaeadmodum et hic gemina illa resurrectio designat: qui vadit ad me: modo resurgit: humilis factus in membris meis. Sequitur autem: Sed resuscitabo illum in nouissimo die. Ad exponendum autem quod dixerat: Omne quod dedit mihi perfruatur. Et itez quod dixerat: Non perdam ex eo: subiungit: Hec est. n. voluntas patrum mei qui misit me: ut omnis qui videt filium et credit in eum habeat vitam eternam. Superius dixit: Qui audit verbum meum: et credit ei qui misit me. Modo autem: Qui

Johānes

videt filiū et credit in eū. nō dixit: Et credit in p̄m.
Hoc est. n. credere in filiū: quod et in patrē: qz sicut
p̄bz vitā in semetip̄o: sic dedit et filio h̄re vitā in se-
metip̄o: vt sic oīs q̄ videt filiū et credit i eū: bēat vitā
eternā: credēdo et transēudo ad vitā: tanq̄ p̄ma illa
resurrectōe: et qz ip̄a nō est sola subiungit de secūda:
Et ego resuscitabo eū in nouissimo die.

Durmurabant ergo iudei die il-
lo: quia dixisset: Ego sum panis ui-
nus qui de celo descēdi. Et dicebat
Nonne hic est filius ioseph: cuius
nos uouim⁹ patrem et matrē? Quo
modo ergo dicit hic: quia de celo de-
scendi? Respōdit ergo iesus et dixit
eis: Nolite murmurare in inuicē.
Nemo potest uenire ad me: nisi pa-
ter qui misit me traxerit eum: et ego
resuscitabo eū in nouissimo die. Et
scriptū in prophetis: Erūt omnes
docibiles dei. Omnis qui audiuit a
patre et didicit uenit ad me: Non
quia patrē uidit quisq;: nisi is qui ē
a deo: hic uidit patrē.

TCHRY. Iudei existimātes se comestōne carnali
potiri nō turbabāt: vñ quo postea diffisi sunt. vñ
dicit: Murmurabāt ergo iudei de illo: qz dixisset:
Ego sum pa. vi. q̄ de ce. descēdi. Videbāt quidē tur-
bari in hoc q̄ dixerat eū de celo descēdisse: sed non
